UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De s[an]cto Eutimo martyre. Cap[itulum]. cxxxij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

ſubſequente predicta ſophia defuncta ē. Quieuit in chriſto ſanctus Botardus. iiij. non. maij. Hec frater Bartholomeus.

¶ De ſctō Andoeno epō. Cap. cxxx.

Andoeuus epiſcopus oppido ſueſſionis nomine ſanciato claris parentib⁹ ort⁹ frater ſanctoꝝ adonis ⁊ rhadonis ſub rege francoꝝ lothario inde ſub dagoberto ī regali palatio regni negocia ſtrenue miniſtrabat. Sȝ cū ado monachus factus fuiſſet: rhado theſaurorum regaliū curā habebat. Quo tēpore ſanct⁹ eligius nouionen̄. etiaȝ in regis palatio clarus erat. Andoeuus ꝺo xpō militare cupiēs: a rege ꝓhibebat̄: ſanctitate tn̄ prepollēs ſub veſte precioſa cilicio vtebat̄. In ꝓprij poſſeſſione patrimonij monaſteriū cōſtruxit ⁊ dotauit: eiqꝫ ſanctum agilū columbani diſcipulū ꝑfecit. ¶ Deinde conſentiente rege clericus fact⁹ defuncto romano rothomagen̄. epō: andoeuus eligitur: ſed anteq̄ cōſecrari vellet: ad hiſpanias predicandas acceſſit: vbi et miracula oſtendit. Nam quēdam die dn̄ico in mola laborantē: cui man⁹ arida facta mole adheſerat: ſubito penitentem ſanauit. Cōſecratuſqꝫ ē eodē die cū ſancto eligio nouionen̄. epō. In huius ſancti cubiclo lux immēſa ſepius celitus infuſa conſpicitur: ⁊ voces angelice ſecū colloquētes audiunt̄. ¶ Duȝ ſemel parrociā ſuā circuiēs iuxta locū qui dicit̄ ad crucē ſancti andoeni in curru ſedens tranſiret: ⁊ muli currum trahentes nullo ſtimulo vel verbere ſe inde moueri poſſent: epūs in aere ſignum crucis fulgentē proſpexit: vbi ⁊ crucē ligneā in teſtimoniū affixit: ⁊ ſanctoꝝ reliquias appoſuit. Ibiqꝫ nocte ſequēti columna ignea ī aere apparuit. Ubi ⁊ poſtmodū monaſterio fabricato: ſanctus leufridus cū monachis plurimis dn̄o ſeruierūt. ¶ Uanuingū quēdam diuitem in extremis laborantē: ꝓmiſſione ab eo ſuſcepta: q̄ in beneficij vicem cenobiū conſtrueret: priſtine ſanitati reſtituit: illeqꝫ ꝓmiſſa complere curauit. ¶ Cuidā quoqꝫ muto ꝑ. xi. ānos loquelā amiſſam reſtituit. Et inverdunen̄. vrbe oppreſſum a diabolo liberauit. Rexit eccleſiaȝ ſuā annis. xliiij. ⁊ nonagenari⁹ ad dn̄m emigrauit. iij. non̄. maij: ibiqꝫ ſepultus eſt.

¶ De ſancto Hilario epō. Cap. cxxxi.

Hilarius Arelaten̄. epūs vir ī ſctis ſcripturis doct⁹ ⁊ doctoꝛ inclyt⁹ fuit. Qui paupertatis amatoꝛ erga inopum ꝓuiſioneȝ pietate mētis ⁊ corporis laboꝛe ſolicitus grandi ⁊ ſolerti cura paupes aluit: ⁊ in docēdo gratiſſim⁹ extitit: multos ſermones ſplēdidos ad populum fudit: ⁊ plurima eruditionū opuſcula compilauit: volumen grāde fide. xij. libris explicitū ſermone ſplēdido exarauit. Beati quoqꝫ honorati predeceſſoris ſui vitā cū multoꝝ vtilitate cōpoſuit. Finem vite dedit valentiani ⁊ martiani tēporib⁹ tertio non̄. maij. Hec Gennadius libro de viris illuſtribus.

¶ De ſctō Eutimo martyre. Cap. cxxxij.

Eutimus diaconus ⁊ martyr apud alexandrie ciuitateȝ pro chriſti fide ab infidelib⁹ chriſtianitateȝ emulantibus detētus: ⁊ dudū in carcerali ergaſtulo vinculis artatus: ⁊ inedia maceratus in ꝯfeſſione emiſit ſpm̄. iij. non̄. maij: vt dicit ado.

¶ De ſanctis Hyreneo et ſocijs martyribus. Cap. cxxxiij.

Hyreneus ⁊ ꝑegrin⁹ martyres ⁊ hyrenis virgo apud theſſalonicā ciuitatē dū veritatem ſacre fidei ꝓteſtari auſi fuiſſent: paganoꝝ rabie detenti: atqꝫ inſimul ignibus cōbuſti palmas martyrij ꝑceperunt. iij. non̄. maij. Hec Ado.

¶ De ſancto Johanne ante portam latinam. Cap. cxxxiiij.

Johānes euāgeliſta ideo āte portaȝ latinā dicit̄: q2 in vrbe roma in ipſo loco ī feruētis olei dolio miſſus diuina gratia inde exiuit illeſus. Nā vt in ei⁹ legenda aliqualiter tactum eſt. vi. kal̄. ianuarij. Cū domitian⁹ imperatoꝛ ſecūdam poſt neronem in chriſtianos perſecutioneȝ excitaſſet: et beatus euangeliſta apud epheſum predicaret a proconſule tentus iuxta edictum imperiale admonebatur chriſtum negare: et a predicatione ceſſare. Quod cū apoſtolus recuſaret dicens q̄ obedire deo magis q̄ hominibus oporteret: proconſul eum in cuſtodiaȝ miſit: et de eo per litteras imperatori ſuggeſſit. Cui domitianus reſcripſit: vt iohānem cathenis vinctuȝ ab epheſo ſecum romam adduceret. Cum ergo a proconſule ad vrbeȝ adductus eſſet: mandauit imperatoꝛ proconſuli: vt iohannem apud portā que latina dicitur in dolium feruentis olei mitteret: prius tamen ipſum more romano flagellis cederet et crines capitis eius funditus tonderet: vt ſic deſpectus ⁊ illuſus omnibus appareret. Tunc proconſul iuxta mandatum Ceſaris iohannem ante portam latinam adductum prius flagellari: deinde crinibus tōdi fecit: ac demū in dolium feruentis olei mergi. Qui conſect⁹ in illud vnctus non aduſtus de vaſe exijt: